



## The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KARAGANDEN\*** IN KAZAKISTANIA NOVA  
CONDITUR DIOECESIS

KARAGANDENSIS APOSTOLICAE SEDI IMMEDIATE SUBIECTA Ad aptius consulendum evangelizationi in  
Reipublicae Kazakistanae finibus opportunum visum est illud vastum territorium ita ordinare ut e suppressa  
Administratione Apostolica Kazakistanae Latinorum sive nova dioecesis Karagandensis per Apostolicas sub plumbo  
Litteras sive Administrationes Apostolicae Almatiensis, Astanana et Atirauensis per Decretum Congregationis pro  
Gentium Evangelizatione constituerentur. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris universi populi  
Dei, de sententia memoratae Congregationis, summa qua fungimur potestate sequentia decernimus. Administrationem  
Apostolicam Kazakistanae Latinorum supprimimus inque eiusdem locum condimus etiam dioecesim Karagandensem,  
quam immediate subiectam Apostolicae Sedi facimus cuiusque limites iidem erunt ac civilium regionum Kazakistanae  
Orientalis et Karagandae Centralis. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Karagandensi templumque Sancti  
Ioseph in eadem exstante ad gradum cathedralis Ecclesiae evehimus: cetera vero secundum canonicas leges  
temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Marianus Oleś, Archiepiscopus titulo  
Raziarensis atque in Kazakistana Apostolicus Nuntius, vel ab eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis  
facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium  
Evangelizatione cito mittantur. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus,  
contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Iulii, anno Domini  
millesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO

JOSEPHUS card. TOMKO

*Secretarius Status*

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost.*

*s.n.*

\*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 11, p. 1030 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana